

IPSA CAVITAS articulorum pedis parvi etiam ἢ ὑπο-
κείμενον μέρος constitui nequit. Arteriæ nullæ hiant in cavi-
tatem, vitiosorum humorum delatrices. Desunt undiquaque viæ.
Nec sufficit Διαπήδησον prætereundum. Quantumvis κονδυλοπωρο-
φίλη podagra longo temporis sæviat tractu, in cavitate tamen
nulla concretio observatur, aut repletio.

VERUS PRINCIPALIS AFFECTUS LOCUS sunt
partes nervosæ, membranosæ, ligamentosæ, in quorum poros se
noxii humores insinuant. Argumentum evidens nodos & to-
phos ibi concretere. Cutis ipsa etiam tractu temporis incalle-
scit & intumescit, ut vel levi aëris commotione vel plumulæ ad-
vicinatione, ægri malè habeant.

Aliter sentire videtur Galenus 6. arth. 49. comm. αἱ κτ' τὰς πο-
δαγρικὰς φλεγμοναί, inquiens, ῥέματα εἰς τὰ τῶν ποδῶν ἄρθρα
κατασκήπτουσι γίνονται, δέχονται ἢ τὸ ρεῦμα τὸ πρῶτον μὲν αἱ
χώραι τῶν Διαρθρώσεων, ἔπειτα ἢ περιζ πάντα μέχρι καὶ τὰ δέρμα-
τα. Ὅπως ἢ πληροῦσαι φάρμακα, τὰς Διαρθρώσεις, ἔυδυλον ὅτι τὰς
περικειμένους αὐταῖς ἔξωθεν κύκλω συνδέσµους, ἀναγκασίον εἶσι τείνε-
σαι. *Influxiones podagricorum fiunt fluxione primum delabente IN
ARTICULORUM SPATIA. Eandem post recipiunt, qua in or-
bem circumstant, omnia usque ad cutim. Cum vero articulationes re-
pleri dicimus, liquet vincula, in orbem ipsis circumposita, necessariò tendi.*

Mercatus consentit lib. de internor. morbor. curat. docens: hoc
habere omnes articulorum dolores commune, quod ut verè ar-
ticularis sit morbus, sive arthritidis, sive podagra, aut ischias, præ-
requirat materiam fluentem, quæ PROLABATUR IN CA-
VITATEM ARTICULI, & vadat in sedem illam, per quam ca-
put ossis spatatur. Quod si ibidem non sit, spurium & illegiti-
mum fieri articulare morbum, esse putandum, intensos licet
creet dolores. Quippe universa hujus mali ratio sita est in hac
peculiari conditione, quâ velut essentiali differentiâ ab omni-
bus aliis articulorum morbis differt.

Verùm neuter veritatis scopum attingit. Non excitatur
dolor, quòd repletâ cavitate distendantur ligamenta, sed quòd
per arterias influentes acres humores solutionem continui ex-
citent in iisdem.

CAPUT